

matrimonio aliisque humanis officiis aptus sit, penitus amiserit, ita in animo suo statuit, si acceptaretur a senatu vestro in cœnobium illud vestrum, quod hospitale vulgo nuncupatur, ut illic ex annona viveret. Possidet ex patrimonio, ut iusto solveret. Hæc ut ad tuam scriberem Humanitatem, serio rogavit. Tua igitur, præstantissime vir, responsione nos dignare, ut, quid in hac re sperandum, quantocius resciscamus. Ceterum<sup>c)</sup> quomodo<sup>d)</sup> res nostræ sese habeant, scribere in aliud reservo tempus; forsitan in aliquo faustiora succedent. Vale. Ex Chur, 4. Decembris.

*Ioannes Comander*, Præstantiæ tuæ servulus.

Pio præstantique viro Ioachimo Vadiano, oppidi Gallensis consuli dignissimo suoque in domino fratri plurimum observando.

a) „iocundum“. — b) „laycus“. — c) „Cæt.“. — d) „quo“ mit Abkürzungsstrich.

l) Vgl. oben, Brief 468. — Da im Jahre 1526 die Pest in Cur herrschte (siehe den Brief Comanders an Zwingli vom 2. October 1526, Zwingli, Opera VII, S. 545), Comander Anfangs 1527 an Zwingli schreibt, dass er wenige Tage vor Weihnachten vom Rat beauftragt worden sei, sich nach einem tüchtigen Schulmeister umzusehen (ib. VIII, 6), und Salandronius nach dieser Zeit wirklich nie mehr erscheint, darf der Brief mit Sicherheit auf den 4. December 1526 gesetzt werden. — Vgl. dazu T. Schiess, Zwingliana II, 173.

II 284.

475.

### Berchtold Haller<sup>1)</sup> an Vadian.

*Bern. 1526. December 24.*

Die Beseitigung der Bilder in St. Gallen. Der Predigtauftrag an Haller von Seiten des Rates. Die Verhandlungen in Baden von Murner in gegnerischem Sinne im Drucke herausgegeben. Ermunterung zur Treue am Worte. Grüsse von und an Bekannte. Zwei Lieder über die Disputation in Baden.

Gratiam et pacem a deo patre et domino nostro Iesu Christo. Etsi in scribendis epistolis imperitissimus sim omnium, charissime Vadiane, tamen non potui admittere, ut nuntius<sup>a)</sup> ille tam tutus vacuus rediret ad te, maxime cum non ex eloquentia, sed magis animo sincero<sup>b)</sup> metiri debeant amici, et ii quidem cordati. Quod idola e templis amovistis, iam dudum resciverunt oligarchæ, et ut hi non nihil impingunt, more suo, ita exteri credentes fortissime animantur. Ursus, siquidem in taurum<sup>c)</sup> versus, lento gradu incedit, sed pedem nimirum fortius figit. Currit apud<sup>d)</sup> nos sermo domini, qui sic suæ congregationi addit, ut pæne<sup>e)</sup> omnia in cordibus piorum immutata sint, salvis tamen Antichristi larvis. Vocatus sum senatus et diacosiorum decreto ad contiones quinque hebdomadatim<sup>f)</sup>

faciendas, quibus procul dubio dominus sic dabit incrementum, ut ursinos in cicures propediem mutari videas. Acta dedolationis nostræ Badensis hactenus urbi nostræ negata sunt eo ordine, quo ex ore certantium calamo excepta sunt. Murnerus ea sub prelo parturit cum præfatione tam proluxa, ut ad septimam paginam aut quaternionem, g. scilicet, deducta visa sint a quibusdam fratribus. Volunt Bernates, ut urbis nomine aut senatus quovis modo huic fæturæ addatur. Recusant acta prelis excusa et apud<sup>d)</sup> scripturam veteris et novi testamenti se mansuros sese aperiunt. Sed quid illis immorandum censes? Utcunque acta cudantur, vertantur, invertantur, pervertantur: verbum domini manebit in æternum, cuius illustratione tenebræ consiliorum Achitofel procul dubio cadent et ruinam minantur quottidie. Ceterum<sup>g)</sup> pergite Gallenses et agite eos, quos iam dudum verbi gloria orbi commendavit, et dominum precamini, ut sequaces nos faciat pro gloria nominis sui. Salutant te Wattenvillii tres, viri nobiles et sinceri<sup>b)</sup>, Bischoffius, Vollius, Telemannus, Hagius, viri cordati omnes. Salutabis vicissim nostro nomine Cristannum Fridboldum, cuius levirum instigaram, ut scriberet; sed aiebat, nihil esse præ manibus, ut scriberetur. Salvus sit Dominicus Zilinus, Benedictus et cooperato illius adeoque omnes. Exstant<sup>h)</sup> cantiones apud<sup>d)</sup> nos duæ vulgares et rhythmicæ, quæ egregie depingunt conventum nostrum Badensem. Si rumoribus credere ausim, procul dubio excusas videbis proximis diebus. Vale itaque felicissime<sup>g)</sup>, et dominus te consulem urbis vestræ perpetuo pium conservet. Christus sit tecum. Bernæ, 24. Decembris, anno MDXXXVI.

*Berchtoldus Hallerus* tuus, quantulus est.

Thomas Wyttenbach, vir iuxta doctus et domini encomiastes olim egregius, apud<sup>d)</sup> suos peste periit et ad superos migravit.

Prudentissimo viro, D. Ioachimo Vadiano, apud<sup>c)</sup> Sanctogallenses consuli primario, maiori suo in domino semper observando.

..... Gallum.

a) „c“ für „t“. — b) „sync.“. — c) „thaur.“. — d) „t“ für „d“. — e) „e“ für „æ“. — f) „hepd.“. — g) „ç“ für „e“. — h) „ext.“.

l) Vgl. III, Brief 434.

1526 ? M. Oswald V, 668, Nr. 6

1526 ? M. Scopegius IV, 252, Nr. 11.